

rationibus scatenens: de quo uix iudices: utrum magis illud ad orationem an ad poetice uergat. Summum quoque iudicium: maximam in omni genere litterarum eruditionem ac scientiam orationem que nihil dormitans aut ociosum admittat: Queque uel breuitate: uel sententiarum nouitate: uel cuiuslibet rei proprietate: uel uarietate lectionis fatietatem discutiat: attentionem requirat atque inuitet. Habet. n. hic scriptor. nescio quid: Quod ex cunctis philosophi et partibus temperatum: oraculum magis quam orationem imitetur. Connumeret preterea inter eius uirtutes exactam quampiam argumentandi peritiam ac uim. Verum pro ingenii sui magnitudine uulgaribus absconditam: claram tamen ac perspicuam eruditis ac doctis: miroque artificio constructam: que nequaquam spectare uidetur: ut auditoris extorqueat assensum: sed potius docilitatem ac persuasionem pro uere sapientie studio uenetur. Dicerem pro eius merito plura: uerum ut ille aliquo in loco ad Homerum laudandum: nihil potius habet: quam ut Homeri ipsius Carminibus utatur: Ita etiam ego pro huius laudatione potius habeo nihil: quam suum illum tricesimum septimum sermonem allegare: in quo clarissime patet quam ipse de se sentiat magnifice. Quam etiam ceteros sentire uelit. Cum. n. uerissime de laudibus suis ipsemet. Sed tamen necessario loquatur: necessitatem profecto mihi demit: aut ipsum (ut par erat) pro dignitate sua: aut munus hoc nostrum: quod amplitudine tua multo inferius commendationem aliquam posebat uerbis ornandi. Itaque laudibus ceteris omisissis: si queras Pen. Max. quid me precipue preter hec omnia impulerit: ut philosophi huius sermones tibi: ac bibliothecae tuae conciliarem: probasse me scito: in primis piam in eis sapientiam: utpote Platonis academice alumnam: ac perfectionis pedissequam christianae dignam profecto: quae a sacerdote Christiano peregre reuerso pro peregrinationis inditio ad sacerdotum parentem dono referretur. Dein quoque compendio loquitur: ac statuit de pulcherrimis atque altissimis philosophiae questionibus: quas coniectas in capita: ea me hercle suauitate: uarietate: ac breuitate: pro ingenio suo condidit: ut non procul ab officio fore censuerim: Vt si forte esuriens animus tuus repudiatis solitis escis: externi aliquid cuperet: paratas haberet has offas: que uno haustu uoratque lectionis rescicerent gustu.